IN SANCTVM ISIDORVM AGRICOLAM

AD

PHILIPPVM IV. HISPANIARVM, ET INDIARVM REGEM CATHOLICVM.

IVLII CAESARIS STELLAE

ARCIS ABBATIÆ,

AD VVLTVRNI FONTES

COMITIS

CARMEN.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROMÆ, Ex Typographia Iacobi Maſcardi, MDCXXII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſſimo P. Mag. Sacri Palatij Apoſt.

A. Epiſc. Carin. Viceſg.

Imprimatur, Fr. Ignatius Ciantes Romanus, Reuerendiſſimi P. F. Hyacinthi Petronij Romani Sac. Apoſt. Pal. Mag. Socius, Ordinis Prædic.

Digitized by Google

PHILIPPO IV.
HISPANIARVM,
ET INDIARVM REGI.

SANCTI ISIDORI Vitam, ac Miracula, quæ per ipſum Diuina bonitas perpetrauit, attigi potius his verſibus quam enarraui, quos tibi potentiſſime, ac Catholice Rex mitto, ſperoque, non ingratos fore, ob eorum materiam, ſi non elegantiam. Tuæ quoq; Maieſtati debebatur hoc munus propter propriam eandemq. hæreditariam tuam in Sanctum hunc venerationem, eiq. cœleſtes honores à Summis Pontificibus impetratos, de quibus præcipuè carmen hoc eſt: Mouit me inſuper vt id mitterem iuſta ac vetus mea cupiditas innoteſcendi tibi cuius mihi rei ſpes omnis præciſa erat, niſi hæc ſe occaſio non incongrua, quam ideo ſtatim arripui, obtuliſſet, quamquam ab Auo, Patreq. tuo, Summis Regibus, ſi non de facie, ſaltem de nauata eis non inutiliter in rebus grauibus opera apud eorum hic in Vrbe Legatos cognitus probè fuerim, qui in Hiſpaniam ad ipſos Reges de hac re litteras honorificas non ſemel dederunt, illiq. de Concilij, quod ſuper Italiæ ſtatu erat, conſultatione Comitis titulo cohoneſtarunt me, atq; aliquibus ex immenſo

Digitized by Google

illius inexhauſtæ beneficentiæ Regiæ Oceano guttulis leuiter attigerunt, quod ego tamen maximi æſtimaui ob Dati cauſam, ac Dantis auctoritatem, neque veteri meo in Hiſpanum nomen obſequio ſtudioq. vnquam defui: Veſtrum eſt ô Rex fortiter gerere, quæ alij eleganter perſcribant; præſcribere, quæ gerant, quorum primum ad vtriuſque gloriam pertinet, hoc alterum, ad veſtram ſolum rem ſpectat cui ſterili per ſe labori multum aſpergit Iucunditatis, veſtræ ſpes gratiæ quam conabor, ſi res feret, ne gratuitam mihi dederis; Deus Opt. Max. Maieſtatem tuam fortunet, ac rebus domi, foriſq. geſtis clariſſimam Reipublicæ Chriſtianæ proſperet, ac diutiſſimè conſeruet. E Roma Kal. Iunij MDCXXII.

Tuæ Maieſtati Sereniſſimæ

Deditiſſimus Comes Iulius Cæſar Stella.

Digitized by Google

TV quoque ab incuruis preſſa ceruice iuuẽcis,
Aequoris hærboſi trabibus ſulcator aduncis,
Ad ſummos Iſidore, nouus Serranus, honores
A Patre Romano ſolenni more vocaris,
Et ſuperũ numero ſacriſq. adſcribere faſtis;
Vnde preces tibi per proprias & vota rogando
Templorum immenſi ſurgant ad ſydera ſumptus,
Annuaq. innumeras celebrentur feſta per aras.
Ille quidem poſt purpurei conſulta Senatus
Tracta diu, moreſq. tuos & facta ſeueri
Iudicis appenſa ad trutinam, certiſq. probata
Ponderibus, mentis diuinæ interpres, vt Albo
Inſertus Diuum Templis colerere ſacrandis,
Vocè palàm ſcriptoq. dedit, medijq. Theatri,
Quà Vaticanæ tholus aſtrifer imminet ædi,
Abiegni in gremio, celſam trabeatus ad aram
Ipſe tibi tua ſacra facit; tùnc Aelia centum
Diſploſit tormenta nigris ardentia bombis,
Vnde ea nomen habent, fumumq. ſub aſtra rotauit
Arx crepitans, ſtrepuere cauis ſacra turribus æra,
Et crebris fractæ exiluere ſonoribus auræ:
Mox pia pompa frequens biſſeni à Principe cœtus
Ianitor æterni qui limina ſeruat olympi
Ad Diuum perducta, humili iam Sole, Iacobum
Flaminij in circo, cui nunc quoque nomen Agoni eſt,
Vix inter denſi eluctans iter agmina vulgi,
Singula mirantis rerumq. ignota petentis,
Quis nouus hic tantis dignatus honoribus hoſpes?
Alter an hic Iſidorus, & ipſe hiſpanus, ab illo.
Quem tenet hiſpalis Vrbs? an Iberia fertilis vna

Flo-

Floribus, æterni quibus ætheris albeat hortus,
Forſan & hinc crocei natos denominat auri;
An titulo magis, an patria, vel ab arte bubulcus
Hic dicendus erit? ſed quæ ſapientia bobus
Noſſe Deum? ni fortè truci qui frigore membra
Naſcentis quondam tepido ore trementia fouit,
Quem nouit, dedit ille ſuæ mox noſcere genti,
Vt diuina rudes acuit quoque gratia ſenſus.

Talia poſcenti, qui primus in agmine turbæ
Proximus anguſtæ aſtiterat, quæſita recludit,
Haud rerum ignarus placidaq. ita voce profatur.

Hæc numeroſa cohors longi diſtincta per agmen
Ordinis, vt geminos æquatis paſſibus vnà
Cernitis ire pares, ea nominis omnis Iberi eſt;
Quæ, ceu militibus circum, ac comitante ſenatu
Victor ab occaſu, ſeu Solis origine Conſul
Quadrijugo ſcandebat ouans Capitolia curru,
Talis & ipſa ſuo nunc plaudit Iberia Ciui,
Iure Triumphanti, vexillaq. ſerica ventis
Ludere dat, varijs Sancti depicta tropheis.

Quæ tantis modo delicijs opibusq. Madritum
Frangitur ipſa ſuis ſedes pulcherrima Regum,
Olim Villa patens, & Agreſtibus apta colonis
Parua fuit, Natalis & huic Nutricula Sancto;
Nondum luſtra ſuos repetunt centena recurſus,
Sex tantum numero deſunt, & vt iſta per vmbras
Clarius inclyta lux, quas ducat ad æthera, cæcis
Emineat terris, neglectæ ſortis ab atris
Sordibus & gentis tenebris emerſit opacis;
Nam tectis æui lethea nube, parentum

Nominibus denſas prætendit Aranea telas;
Pauper vterque quidem, ſed quos non vlla remordet
Cura; quibus priuantur opum, vitamq. beatam
Vnà agitant, operum læti mercede ſuorum.
Ille vbi prima pedum firmis veſtigia plantis
Fixit humi, mentem ſublimi verſus olympo,
Inde palàm pendere oculis & pectore viſus,
O quotùs totos menſæ ſine munere ſoles
Suſtinuit precibusq. exercuit, ante nitentem
Cęlitum imaginibus, quas ipſe appenderat, aram,
Haud luſus puerilis amans; ſic inter alendum
Non ſemel in puero, quàm pro ſortisque, domusq.
Fortuna màius ſtupidi videre parentes
Indolis eximium ſpernentis terrea lumen,
Et læto ſub corde, Tui miſereſcimus, aiunt,
Care puer, noſtræ, quem non capit ambitus ædis;
Mox vbi maturis adoleuit viribus ætas,
Vix vmbrante rudes humili lanugine malas
Tutus vt inter agros duplicis commercia vulgi
Effugeret ſoliq. Deo procul Vrbe vacaret,
Artis opus duræ, ſtudium delegit arandæ,
In ſpem meſſis humus iunctisq. inſiſtere bobus;
At dum bis terna diſtinctos claſſe leuiq.
Traiectos lino globulos (capit vna minores
Quæq. decem, ſinglis maioribus agmina claudunt,
Hi PATRIS in nomen ducuntur, VIRGINIS illi,
In ſpeciem gemino textæ de flore coronæ
Nomen & inde trahunt) primis Iſidorus ad vnum
Tranſmittit numerans digitis; noctemq. fatigat
Aeternisq. diem precibus, ſilet vſus aratri

Intereà, putriq. rubent agreſtia ſenſim
Arma ſitu, ſquallebat ager, ſpinisq. rigebat,
Quem pacta mercede redemerat, omnia frugi-
perda filix, loliumq. tenet; quæ verus vt affert
Rumor agri Domino, non vocibus ille, nec iræ
Temperat, at dictis iuuenem caſtigat acerbis
Ignauumq. palám appellat, pactumq. repoſcit;
Hinc rem in præſentem cum Iudice, cumq. vocatis
Teſtibus inſtat iter, quo matutinus ISIDRVS
Venerat ante alios, & iam cęleſtis opis ſpe
Bobus humum exagitat, tamquam otia quicquid inerti
Longa diu campo abſtulerunt, breuis hora reponat
Auxilio ſubnixa Dei, mediusq. duorum
Proſcindit glæbas, iuuenum, qui veſte niuali
Candida membra tegunt, & agro dominantur ahenis
Vomeribus, gaudet cęleſti pondere tellus
Conſcia, lætantesq. trahunt iuga cara iuuenci,
Sponte nitens aër alieno lumine ridet,
Et non humanis permulſus odoribus halat;
Quorum ingens procul ad nares euoluitur vnda;
Quæ cum herus & Comites ſpectãt, quin vepris & hęrbę
Infęlicis agrum, quibus ante horrebat, inanem,
Immoti tenuere pedem, dehinc agmine facto
Præcipites ad aratra ruunt, Superumq. Virique
Oſcula veloces reuerentia figere plantis;
Hic fugit attactum, repetunt illi æthera pennis.
Forſitan è ſicco prognatum puluere fontem,
Pulmentisve cauam ſcatuiſſe coquentibus ollam
Iam vacuam, cum nulla ſuper ſpes eſſet edendi,
Quæritis? hoc etiam, mentes adhibete, docębo.

Aeſtus

Æſtus erat, medijsq. furens ardebat olympo
Phębus equis,& iam grege cum languente ſub vmbris
Propter aquam paſtor ſecreta valle ſedebat,
Fallebatq; diem ſomno, cantuve terebat,
Tunc iuuenum robuſta cohors,quam vertere glæbas
Duxerat,ipſe operum pars prima Iſidorus,ab Vrbe,
Sole peruſta graui longoq. infracta labore,
Quærere aquam fruſtra pallent loca puluere circum
Nec molli ſaltem eſt linguam contigere limo.
 Ergò effuſa ſolo, ac ſingultibus ilia ducens
Incuſare diem, atq; iniuſti ſpicula ſolis
Teſtaturq. locum quà tangere venerat, horam;
Adfuit intereà pactos viſurus agreſtes
Ipſe luci dominus, cui perquoquit arida fauces
Ex longo collecta ſitis, fontemq. requirit
Irritus, & ſicca demum proſternitur hærba
 Vocibus his Iſidorus, & acri accenſus ab æſtu,
Fert oculos cœlo,atq; animum,quamq; ipſe tenebat
Pulſat humum raſtro, fons, ſi Deus annuit, exi
Hinc,ait; exit humo fons iuſſus,& arua loquax fert
Per ſitibunda pedem, donec collectus in arctum
Riuus erat, pronoq. viam populauerat alueo;
Nūc quoq; nomē idē, curſusq. haud ſegnior amni eſt,
Vnde petunt varijs medicamen peſtibus ægri.
 Hìc ſtupor agricolas, & hærum defixerat ingens,
Oblitiq. ſitis ſubrecta frontę tuentur
Per ſola ſicca rudi labentem flumine fontem;
Mox ſimul accurrere omnes, & pallida labra
Immergunt liquido ſudataq. tempora vitro.
 Vix Vrbem attulerat nouus hæc miracula rumor,

Vere dies aderat priſco qua more Madritum
Conueniunt vnà, dapibusq. epulantur amicis,
Et pia communi ducunt conuiuia ſumptu
Agricolæ ſocij, proprijs is legibus Ordo
Vtitur atq; habitu, dum templi in parte remota
Diuinis vacat officijs, quæ perficit vna
Alternis recitans per mutua protinus hora
In nonam diſtincta licet, nec debita diei
Veſpere, quæq; preces complent, indicta relinquit:
Hoc tantum feſtis exercet ſpontè diebus.

Ergò aderant, menſisq. ſimul ſedere paratis,
Solus abeſt ISIDORVS, in hūc, vt quemq; mouebat
Fama viri, probitasq. nouis celeberrima factis
Conuertere animos, linguaq. oculisq. requirunt:
Ille, preces ſacram quas Virginis ante Parentis
Cæperat effigiem, templi interioris ad aram,
Ne frangat, ſeu mente leues ſublatus in auras
Nil mortale putet, cæptis immotus inhæret;
Auulſus tandem inde, locum quo turba ſodalis
Iam menſas vacuarat, adit; tunc obuia totis
Ædibus vnda virum venienti occurrit, & intro
Penè vehunt, cura quamquam mordentur acerba
Quod turbam ſecum ille inopum de more vocantum
Voce patrem, temerè rebus inferret egenis,
Tunc menſæ Rex ante alios, Dominusq. bibendi,
Cur tecum hi? vix parua tibi ſeruatur ad ignem
Pulmenti grauis olla, nec amplior amphora Vini,
Quo gens hæc paſcenda cibo? ſubriſit &, ore
Non aliàs meliore, dabit Deus his quoq; noſtræ
Partem aliquam dapis, inquit; & hæc effatus, inanes

Ad

Ad menſas longo ſtipatus ab agmine ſedit;
Hìc vbi relliquias calido de vaſe relictas
Extraxere cibi, totasq. Iſidore, tulerunt
In patina fumante tibi qui fercula curant,
Ecce opibus ſpoliata ſuis, ceu iugis aquæ fons,
Sponte iterum ſcatet olla nouis, exhauſtaq; rurſus,
Rurſus plena fremit, nec deficit, vltima donec
Exſatiata fames inopum, penitusq. receſſit;
Quin alios ſemeſa cibi fragmenta caniſtris
Pauerunt excepta capacibus, omnis agreſtum
Ruſtica turba ſilent, & rerum monſtra nouatum
Vix ſibi tacta manu guſtataq; lumine credunt.

Hæc dixiſſe ſatis,neq; enim comprehendere miras
Res numero eſt, quas ille, aderat dum vita, peregit;
At nunc vnum, obita quod morte patrauerat,edam;
Cætera prætereo, celebrent ea triplice Vates
Ore,voluminibusq. ferant, vt floreat omnes
Fama viri, tenebris inimica recondier, annos

Ad fontem, quem me dicentæ audiſtis, ab albi
Pulueris exiluiſſe ſinu,dùm Sanctus adunci
Cuſpide vix tetigit raſtri, licet æſtus, & ignis
Solis hiulcet humum, vallesq. ardore dehiſcant;
Vecta ſimul lato pubes incondita plauſtro,
Matres atq; Viri, primaq. ætate puellæ,
Iuerat, octoni numero denique, nec illos
Relligio præclara loci, quàm traxerat illuc,
Inde ſuam ſpes corporibus haurire ſalutem
Deluſis medica longum iam tempus ab arte
Ergo domum læti repetunt votiq. potentes;
Perque breues verſus numerorum lege ſolutos

Dum ſimili modò ſine cadant, ſibi quiſque Datorem
Optati Sanctum vario bene carmine dicunt,
Auditæ ſoboles quæ vocis & aëris echo,
Rupis ab excelſæ gremio, ſpecubusq; remittit;
Et colles incompoſito clamore reſultant:
Hic Hiſpanarum generoſum ſemen equarum,
Materni generis memores, qui plauſtra trahebant
Exarſere animis Biuges, furor vrget acutis
Dentibus inter ſe certare, perurere ventos
Calcibus, & ſaltu crebri cornuq. vorabant
Quadrupedante ſolum, iam libera lora per armos
Collaq. tonſa fluunt, terræ delapſa regentis
E' manibus, curru iacet ille excuſſus ab alto
Concita quem rota calcat, inoffenſumq. relinquit;
Forſan & hunc placido reſpexit lumine Sanctus;
Inde viam abripuere, refrenantisq. ſoluti
Imperio, populantur iter, quo deuius inflat
Impetus, & iam abrupta per, & ſaxa aſpera tendunt;
Tunc precibus lacrimiſque, & fœmineo vlulatu.
Cuncta fremunt, dum diuerſis diuerſa miniſtrat
Haud vitæ diuerſus Amor, tamen omnibus vna
Spes fędæ mala mortis, & ipſa apparet imago
Terribilis; pueros patres, matresq. puellas
Amplecti, trepidos quid agant, metus omnia miſcet:
Adfuit ad caræ gemitus, & Vota cohortis
Expoſcentis opem Sanctus, iam iamq. ruentes
Suppoſitum in flumen, recutitos colla Iugales,
Ceu freno retinente moratur; ſubſtitit vltro
In præceps tunc rhæda cadens, immotaq. donec
Defluxere omnes, mox, vt prius, incita fertur:

Ima

Ima in ſaxa, vadisq. lutoſi gurgitis hæſit
Fracta rotas, axemque, rapax ea deuehit amnis:
Hoc equidē magnum eſt, ſed & his maiora referrē
Prodigia, in cunctos quæ plurimus edidit annos
Vilis agri quondam, nunc dignior incola Cœli,
Ni breuis hora vetet. Tu rectò incedere greſſu
Diſtortis das poplitibus, lucemq. tueri
Nube graui preſſis oculis, qui ſplendida nunquam
Aſtra, nec auricomi viderunt lampada ſolis;
Tu clauſas aperis ignotis vocibus aures;
O quot ab annoſis exoluis febribus artus,
Vnde thoro, iam iam vicina morte, trahebant
Nigros felle dies, & amaræ abſynthia noctis,
Difficileſq. leuas maturis partubus aluos:
Te venti domitor tempeſtatumq. vocato
Enauit tumidis illæſus nauta procellis.
O felix I S I D O R E, nouo decorate triumpho,
Quem tibi Roma dedit, Meritiq. inſignibus ornat,
O nec legifero ſolymum duce, cautis ab aſpræ
Vulnere dum fontem elicuit quo ſicca carebat,
Vnde auide biberunt gentes, nec ad æthera rapti
Thesbitis hærede minor, cui ſpiritus igneo
Ablati curru, veſtisq. relicta magiſtri;
Ille leui, quod nulla manus tranſfudit, oliuo,
Arbor nulla tulit, Viduæ dedit hoſpitis vrnas
Impleri; ſtupuere ſuis ingenia Vaſa
Auctibus, inſueto gremium tumefacta liquore,
Qui pingui lentore piger, labra humida, quamquam
Teſtarum ex ſuperat, haud tranſit, vt æquora ripas:
O felix I S I D O R E, tibi vetus inclyta cœlo

Glo-

Digitized by Google

Gloria, nunc eadem in terris, dum nubila ducet
Ad nigra templorum prædines Iberia moles;
Et meritis æquos animo meditatur honores.
Hæc poſtquam turbæ, quę iam auribus aſtat acutis,
Vir plus è Sancti raptim decerpſit ISIDRI
Fœcunda rerum ſylua, ceu lilia ſolum
Purpureasq. roſas tenero metit vngue puella
Promiſſas templis ab amico floribus horto;
Pompa frequens lentè interea præceſſit ad ædem
Quo directa ſacram, vexillo clauditur agmen:
Illic effigies animoſa procacibus auris
Fluctuat in Sancti variata coloribus ora;
Talis erat forſan cùm vultus induit horti
Cultoris Deus, & veritam contingere palmis,
Lege noua mæſtam ſolatus voce puellam eſt,
Membra ſago crinesq. rudi velante galero;
Salue Humilis pauperq. domo, dum vita manebat,
Nunc procerum precibus Regumq. in vota vocandus;
Pro bobus, pro rure, & humus ſciſſore ligone
Sydera ſumma tenes, illinc ſi lumina flectis
Interdum ad terras, viſu vix inuenis orbem
Immenſum hũc nobis, tibi qui breuis inſtar ocelli eſt;
Hic ſpes anguſto iaculantum longius æuo
Totq. hominum rides, pro qua mercede? labores,
Votaq. fortunasq. Virum, quæque aurea circum
Tecta volant, cœloq. ferunt capita ardua Curas,
Miraris, quales Autumni tempore frondes,
Quas noua coxit hyems, illæ turbantibus Auris
Inter ſe primum occurſant, & grandia miſcent
Pręlia, fit ſtrepitus, mox lapſæ ex aëre terram

Con-

245

Conſternunt, pede quas calcat ſpernente Viator:
Talia ſunt vobis humana negocia Diui,
Pectora quæ tanto turbant mortalia motu;
Inde tamen Regem quo Terra hiſpana ſuperbit,
Reſpice, cęleſtes tibi qui curauit honores,
Rex tuus, hunc alto ſi gratus ab æthere cernes,
Nil petimus ſuprà, dum floreat ille ſuoſque
Proterat, haud alios hoſtes iam tuta timebit
Relligio, Paxque alma, ſupremorumq. Poteſtas
Pontificum, quiſquis hæc negligit, oderit idem
Hiſpanos, clypeum Romanæ Sedis, & enſem,
Haud timidos Belli, Defenſoresq. quietis.

F I N I S.

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITT. EMANUELE

Digitized by Google